DE HYDROCEPHALO ACUTO INFANTUM DISSERTATIO INAUGURALIS...

Ferdinando Pascoli

de

Hydrocephalo acuto Infantum

Dissertatio Inauguralis

quam

Ad Medicinae Lauream consequendam

proponit

PASCOLI FERDINANDUS

Forojuliensis



Patavii

Typis Penada

MDCCCXLII.

Copiosissimas, quas morbi et mors prehendunt, victimas ex infantum cohorte sibi eligunt. Inter communes autem natorum morbos hydrocephalus acutus numeratur, qui aut solus illos convellit, aut aliis morbis adsociatus eorum discrimina auget.

Favent autem hydrocephali origini organismi infantilis rationes organicae et vitales; organisatio nimirum tenera et mollis, major cerebri, quoad reliqua organa, moles, et uberior illuc sanguinis adpulsus, unde receptivitas erga stimulos maxima cum alacri quidem, sed infirma reagendi et superandi potestate. Intelligitur inde, cur hydrocephalus decursum plerumque acutum habeat, ideoque infantes brevi tempore interficere valeat. Quam ob rem praecipuus rerum cardo in eo stat, ut hydrocephalus jam a longinquo dignoscatur et opportunis remediis praevertatur. Quod quidem non adeo facile, praecipue pro medico juniore, cui pro-

pria experientia adhuc destituto parvulorum salus tuto concredi nequit, nisi indefesso studio auctorum de hac re scripta pervolverit et necessarias sibi cognitiones adquisiverit.

Quamvis autem quemlibet medicorum de hujus argumenti veritate mecum convictum esse, non dubitem; rarius tamen de infantum morbis dissertationes concinnari reperii. His igitur considerationibus ductus pro dissertationis themate morbum elegi, qui infantibus non minus frequens ac perniciosus, summam ubique attentionem meretur. Sed quoniam hydrocephalus acutus symptoma tantum designat, ita mihi morbum hunc appellanti, non solum de hydrocephalo acuto, sed etiam de morboso statu, a quo pendet, scribendi consilium est.

Probe quidem scio me argumento tam gravi ex omni parte illustrando minime parem esse, nihilominus indulgentiam tuam, Lector benevole, mihi non defuturam spero, si consideraveris, me tractatum aliquem conscribere debuisse, ut legibus academicis satisfaciam.

Definitio et Divisio.

Nomen *hydrocephali*, a graeca voce ὕδωρ, aqua, et κεφαλή caput, derivans, morbosam seri in capite collectionem significat.

Hydrocephalus dividitur in *externum* et *internum*. Externus est, si cranium inter et pericranium, vel hoc ipsum inter et cutem serum effunditur; internus vero, si calvariam inter et duram matrem, vel duram matrem inter et arachnoideam, vel hanc ipsam inter et cerebrum serum colligitur, vel in hujus continetur ventriculis.

Distinguitur praeterea in *acutum* et *chronicum*. Acutus audit, quando gravis et rapide decurrit, chronicus e contra, si mitis et lente procedit.

Dividitur etiam in *idiopathicum* et *sympathicum*. Idiopathicus vocatur, qui a causa occasionali caput immediate adficiente promanat, sympathicus dicitur, qui per causam morbificam caput, mediante organo aut systemate quodam, symphatice juncto, tentantem generatur.

Hydrocephalus externus ad hydropem cutaneum proprie spectat, internus autem verum hydrocephalum sistit.

Brevis conspectus historicus.

Hydrocephalus acutus non recens est morbus, sed nostris demum temporibus majori diligentia et cura indagatus. Jam aetate antiquissima hujus morbi vestigia quamvis levia et imperfecta inveniuntur. Eteuim uegari uon potest, Hippocratem non solum morbum praesagisse, sed etiam ejus sedem cognovisse. Reliqui scriptores, qui eum secuti sunt, tantum de hydrocephalo chronico et externo loquuntur. Aëtius, imprimis autem Vesalius et Schenkius a Graffenberg hunc morbi processum diligentiori et accuratiori examine dignum habuere, sed plurimum de ejus illustratione meruerunt: Blackmore, Petit, Rob. Whytt, Quin, Odier, Baader, Cheyne, Formey, Portenschlag et Goelis.

Symptomatologia

Quam in hydrocephalo acuto sanando multum intersit, ut morbus celeriter et recte cognoscatur, quam maxime necessarium est, ut primitivae affectionis symptomata, quae saepissime levia sunt et oculos facile fugiunt, maxima cura et diligentia intueamur et rite aestimemus. Sicuti autem Ipsa symptomata varia ac varia sunt pro morbi gradu magis magisque crescante, sic ut facilius perlu-

strari possint, ea in tria stadia distinxi, nempe in stadium inflammationis, in stadium exsudationis et in stadium paralyseos.

Stadium inflammatorium.

Quoad hydrocephali acuti diagnosim aegroti habitus primo est respiciendus, nam saepissime infantes cachexia quadam v. g. scrophula, rhachitide, atrophia adfecti, faciem pallidam et laxam habent, caput magis rotundum, globosum et majori, quam in statu normali, circuitu, supercilia, praecipue autem cilia plus solito evoluta, qood apud omnes hydrocephalo acuto adfectos semper observatur; tubera frontalia maxime prominent, qua de re oculi in orbitas relabantur, quo fit ut infantes morosam speciem prae se ferant.

Attamen non solum hi, sed etiam sanissimi hydrocephalo affici possunt. Magnam quoque hoc auspicionem movet, si praecox parvuli exhibent ingenium, sed maximi momenti est, an iisdem parentibus jam alii infantes hydrocephalo acuto erepti sint.

Primo infantes hilaritatem amittunt, omnia, quae eis antea magnam praebuerunt voluptatem, respuunt, morosi, inquieti, nulla re contenti modo paulisper lacrymantur, modo secum, modo cum aliis murmurant, facilius afficiuntur et irritantur: omnia, imo parentum blandimen-

ta molesta sunt; somnus vel nullus, vel inquietus cum insomniis angentibus et stridore dentium; saepe ex eo repente et cum clamore vel ejulatu vel cachinnis expergiscuntur; facies anxia, nunc pallida, nunc rubicunda morbum indicat; musculi totius fere corporis soluti, laxi et functionibus praestandis impares. Infantes brevi et valde macescunt ita ut cutis laxetur et flava, squalida fiat; carotides modo fortiter, modo vix manifeste pulsant; modo corporis temperatura est aucta, modo imminuta; modo vehementissime siti vexantur, modo potus fastidiunt. Provectiores aetate de vertiginibus et anxietate, si in lectulo se erigunt, de doloribus rheumaticis cervicis et extremitatum queruntur, parvuli vero caput ob spasmum retrorsum rejiciunt, manibus fodiunt pulvillum, vacillant, gressum habent incertum, manus ad sinciput protendunt, flentes rupente obmutescunt; calor capitis, praecipue sincipitis, semper est evectus, frons crebro sudore tecta.

Oculi micantes, divergentes, morbose sensiles; pupilla coarctata lucem etiam mitiorem fugit; sensibilitas auditus valde aucta est; pulsus duri, parvi, frequentes, irregulares: respiratio plerumque citata multisque gemitibus mixta. Aegroti propensi ad vomitum, demum per viginti quatuor horas sexies vomunt aut septies, et vomitus initio mucosus, sub fine saepe biliosus, qui imprimis post trunci erectionem et potulenta augetur; lingua rubra, plerumque

sicca; spiritus odorem ingratum edit; alvus obstructa purgantibus et clysmatibus difficillime solvi potest; faeces colorem habent subviridem et subfuscum, multumque foetent: urina parca, turbida et nubila cum gravi sedimento lateritio.

Remissiones non solum hac in periodo, sed etiam in decursu hydrocephali non raro observatae sunt, quae tamen medicum, bonam prognosim ex iis colligentem, facillime fallunt, nam brevi symptomata deteriora fiunt, negrotumque celeriter ad mortem rapiunt.

II. Stadium exsudationis.

Sensibilitas aucta paulatim in soporem transit. Infantes lecto quasi affixi, inter somnum vigiliasque oculis semiclausis jacent, ex quo statu initio quidem verbis blandis excitari possunt, mox vero, perpaucis verbis abrupte aegreque prolatis, in soporem recidunt. Ope aliena erecti maxima anxietate cruciantur, et inquieti locum quaerunt ubi caput fulcire possint, quo in statu magna comedunt voracitate; os naresque manibus fricant; palpebrae spasmo afficiuntur, et, exceepto auditu, omnes sensus pedetentim bebetantur; vomitus paulatim subsistit et rarissime tantum excitatur, si aegrotus erecto corpore sedere cogitur, suspirium gemitusque, spasmus musculorum cervicis stridorque den-

tinm tunc majores evadunt; tunc strabismus, diplopia cum obtutu deorsum converso aliisque visus hallucinationibus in scenam veniunt; pulsus est debilis, minus frequens intermittenteq; respiratio parum alta, difficilis, anhelosa; urina purea sed colorem clariorem habet; alvi solutio obstat adhuc remediis; faeces atrofuscae et purulentae sunt, foetidissimi odoris et saepissime lumbricos aut oxyurides continent. Sub fine hujus stadii attentio et conscientia quandoque redeunt, sed plerumque sopor profundus et rerum externarum oblivio adest; auditus debilior fit: pupilla dilatata luce clarissima affici desinit; facies modo rubescit, modo livescit; cutis minus calet; extremitates frigescere incipiunt. Maximi momenti sunt incipientes convulsiones, quibus plerumque brachium et pes ejusdem lateris antrorsum et retrorsum moventur, dum alterius lateris artus nunc spasmo contrahuntur, nunc paralytici sunt; aut si alterius lateris paralysis non adest, omnes extremitates per intervalla spasmo agitantur. Ob oesophagi spasmum aegroti saepe deglutire non possunt, aut si potus eis ingeritur, sicuti in paralysibus, strepitus auditur.

III. Stadium paralyticum.

In hoc lymphae plasticae accumulatio ad finem est perducta, qua partes nobilissimae op-

primuntur, quare omnia symptomata nervosa ad summum evecta sunt fastigium. Omnes sensus, imo auditus sunt extincti, et vehementissima incitamenta nihil efficiunt; paralysis totius corporis aut pleramque lateris unius, dum alterum vehementissimis convulsionibus afficitur; pallor et robor faciei per vices se excipientes; amaurosis, oculorum conjunctiva saepe sanguine rubefacta; corneae muco tectae rigor; spasmus musculorum faciei, halitus foetidus, sudores circumscripti, frigidi, tenaces; extremitatum frigus, aestuante adhuc capite; alvi et urinae, inscio aegroto, evacuatio; postremo pulsus filiformis, tremulus, intermittens; spiritus laboriosus, stertorosus; singultus; convulsiones vitae miserae finem imponunt.

Hydrocephali acutissimi, sive apoplexiae hydrocephalicae, symptomata fere eadem sunt, eo tamen discrimine, ut quam celerrime et vehementissime decurrunt, ita, ut stadia illa deprehendi non possint et exsudatio citissime sequatur.

Necroscopia.

Alterationes pathologicae, quas practici quidam nobis referunt, et in cadaveribus hydrocephalo acuto defunctis invenerunt, maxima dignae sunt attentione. Sexaginta septem cadavera, quae a Parent et Martinet dissecta fuerunt,

omnia turgidas offerebant meninges. Bricheteau in septem cadaveribus turgorem tantum arachnoideae observavit; et Goelis ex triginta duobus, quorum sectionem suscepit, in aliis injectionem cerebri, in aliis meningum invenit, et praeter has alterationes nunc emollitionem cerebri vel cerebelli, nunc incrassationem utriusque meningis, nunc cystides, nunc pus, nunc abscessus, et tum et quando fungos, scirrhos tuberculosque vidit.

Analogiae et differentiae

In difficillima hydrocephali acuti diagnosi, quippe qui nonnunquam aliorum morborum symptomata subdole imitetur, non mirum est vel nostris temporibus, quibus hujus morbi diagnosis tantopere exculta est, quaedam exempla inveniri, quae doceant quantum hic morbus medicos fefellerit, et quoties in aegrotorum damnum methodus curandi falsa sit adhibita. Igitur medico, qui aegrotorum saluti consolere velit, semper clara morbi imago ante oculos versari debet, praesertim in dentitionis periodo febreque verminosa, quandoque aegrotis hunc ad morbum dispositio ex hereditate imprimis inest, ubi quodcunque signum, etsi videtur exiguum, medicum diffidentem reddere atque eum monere debet ne hunc statum vilipendat. Medicus, qui hydrocephalum saepius

attentiori animo observavit, parva quoque ejus symptomata rite aestimabit, atque morbi differentiis clandestinoque accessu non decipietur. Sed praecipue diagnosis multis impeditur difficultatibus, quod infantes, qui plerumque hydrocephalo acuto afficiuntur; saepissime sensus suos doloresque perspicue describere non possunt. Hinc medicus ex illis, qui aegrotum circumdant, morbi symptomata percontari, et praecipue nutrices clam examinare debet, an e lapsu aut contusione aut ex alia injuria morbus originem traxerit, quae causae fere semper prae metu et parentibus et medico occultantur.

Diagnosis hydrocephali acuti febrisque inflammatoriae non magna difficultate premitur, nam febricitanti habitus ille peculiaris decst, oculi lucem non tam sollicite fugiunt, alvus non collapsa et non tam vehementer obstructa, faeces non alienatae sunt.

Dolores capitis in hydrocephalo sunt majores, et in eo congestio ad caput saepe e carotidum pulsatione aucta intelligi potest. Vomitus singularis, frontis calor altior, gressus incertus, somnus inqaietus, ex quo sine ulla causa cum clamore acuto gravique excutiuntur, manuum motus singulares facile hos morbos distinguunt.

Major quidem similitudo inter infantum hydrocephalum acutum febremque biliosam deprehenditur; sed hic facies flavescens, remissiones verae, perspicuae, plerumque regularibus sudoribus junctae medico verum indica-

re possunt. In hac febre gastrica prae ceteris symptomata sunt: lingua flava, crustis obducta; sapor amarus, acidus; vomitus initio morbi plerumque nulli; urina flava cum sedimento crasso, flavo, sufficienti quantitate; venter plerumque inflatus; faeces, quae facilius et fere semper sine remediis evacuantur, fuscae, biliosae, muco indutae, saepissime foetidi odoris. Capitis dolores mitiores sine magna oculorum affectione; convulsiones et symptomata nervosa ibi fere semper desiderantur, denique causae efficientes multum lucis praebent ad diagnosin morbi eruendam.

Helminthiasis et deotitio difficilis cum febre conjunctae nostris temporibus a medicis frequentissime observantur et talia saepe in mortuis indicia inveniuntur ut inde elucere videatur, creberrime sub illorum morborum forma hydrocephalum latuisse. Quoniam vero nonnunquam diagnosis horum morborum difficillima est, prodens sit medicus ne unum prae alio morbo curet, ideoque in errorem trahatur.

Infantes vermibus vexati semper pallidi, laxi, subinflati, cachectici sunt; ipsi clariori quidem voce exoutiuntur e somno, sed mox obdormiscunt, dolores capitis periodici sunt, minus vehementes quam in hydrocephalo; anum naresque ob magnum pruritum fricant; alvus vel soluta, vel lenioribus purgantibus facile solvi potest. Aegroti tantum vomunt, si vermes in ventriculum adscendunt, et persaepe omnia

maxima cum aviditate devorant; urina turbida, sero non dissimilis, cum gravi sedimento copiosa satis emittitur; sensibilitas oculorum et aurium non alienata; gressus vacillans semper abest; frons manui tangenti rarissime majorem calorem offert, sed fere semper abdomen; convulsiones non ad morbum pertinent, et si fortasse adsunt, celeriter et absque damno praetereunt paralysesque nunquam relinquunt.

Febris, quae in dentitione oriri potest et saepe per congestiones ad caput hydrocephalo acuto ansam praebet, signis periodi dentitionis constitutis v. g. gingiva calida, tumida, rubicunda, salivatione, somno inquieto, tumore glandularum salivalium et quandoque etiam vicinarum partium cognosci potest. Tamen omnia haec signa cautissime aestimanda sunt, quia hac periodo congestione aucta, hydrocephalus saepe inopinatu accedere potest.

In infantibus scrophulosis facile inflammatio membranae mucosae auditus interni exoritur, quae, quia plerumque leniter irrepit, non internoscitur vel negligitur, atque in suppurationem transit. Suppuratio vero eo crescere potest, ut sensim sensimque tympanus et labyrinthus destruantur, nec non meninges laedantur. Pus tali pacto modo per meatum auditorium vel tubam Eustachii ejicitur, modo in cranii cavum effunditur, et tunc symptomata hydrocephalum simulantia procreat. Ast si praecedentia phaenomena eorumque decursum

bene medicus perpenderit, difficile erit ne veram morbi naturam cognoscere valeat.

Diagnosis inter typhum et hydrocephalum acutum ardua magis est, sed infantes rarissime illo morbo afficiuntur. Attamen typhus praecipue ardore mordaci, manui tangenti molesto, deliriis vehementioribus, fere semper sine convulsionibus, hypochondrio sinistro, praecipue dextero tenso, dolente, lingua dura, contracta, sicuti dentibus et gingivis crusta tenaci, subnigra aut lutea indutis distingui potest. Ibi infantes manus fere nunquam versus caput attollunt; oculi non tam sollicite quam in hydrocephalo lucem fugiunt; vomitus et nausea rarius adsunt, et situ commotato non augentur; urinae secretio non impedita est diversamque habet indolem; abdomen fere semper inflatum, plerumque non obstructum, aut si ita se habet, facile solvitur; haemorrhagiae tandem ex ore, naribus, gingivis atque ano, maculae sub cute, petechiae, furunculi gangraenosi atque ulcera, quibus saepe hic morbus velut crisi decernitur, quam maxime argumentum nostrum dilucidant.

Ex arcto organorum abdominis et systematis cerebralis connexu facile explicari potest, cur quaedam eorum affectiones, praecipue hepatis, symptomata hydrocephalo acuto similia, proferant. Quod si ad diagnosim constituendam symptomata gastrica valde conferunt, tamen negari non potest diagnosim horum mor-

borum nonnunquam difficillimam esse et in quibusdam aegrotis nunquam satis accurate institui posse. Quamobrem ipsae affectiones semper maxima cum attentione observandae sunt, ne forte pro hydrocephalo acuto habeantur et curentur, et sic hydrocephalus sympathicus tandem exoriatur.

Infantum eclampsia et hydrocephalus acutissimus non multum inter se differunt et tantum eo discrepare videntur, quod in eclampsia symptomata nervosa jam a morbi exordio adsunt, et ejus impetus pleramque sine damno praetereunt, ita ut infantes, insultu superato, brevi ad sanitatem redeant; attamen horum morborum limites tam difficulter constituuntur, ut hydrocephalus acutissimus quandoque ejus formam imitari possit.

Diagnosis inter hydrocephalum acutum et chronicum semper difficultate carat nam gradus et decursus morbum facile designat.

Aetiologia et natura.

Causae, quae hydrocephalum provocare possont, variae ac multiplices sunt, quare mihi ordo quidam observandus est. Primum igitur perlustrabo, quae in ipso organismo sitae sunt.

Actas infantilis, qua cerebrum maxime crescit et facile congestiones ad caput oriuntur, hic et consideranda. Haec dispositio plerumque locum inter annum primum atque octavum

habet, quae quidem major evadit, si cum habitu scrophuloso atque rhachitico conjungatur. Hostis vero insidiosissimus est dentitio, qua semper congestiones ad caput excitantur, quae exiguis causis nocentibus tam vehementes fiunt, ut hunc morbum facile provocent. Vermes quoque intestinales, praecipue ascarides et lombrici saepe huic morbo ansam praebent, quocirca helminthiasis et dentitio maximi momenti sunt, quia initio hydrocephalus non raro sub eorum forma prodit, ac facile pro una alteram habetur. Non minori jure exanthemata sunt accusanda, quando nempe vehementer procedunt, aut methodo curandi perversa supprimuntur vel nimis irritantur. Sic impetigines, sic evacuationes tum normales, tum morbosae, si incaute et repente inhibentur, plus minusve hydrocephalum acutum efficere volent. Hisce addendae sunt graves quaedam abdominis inflammationes, praecipue hepatitis, gastritis, enteritis, sicuti etiam inflammatio faciei et vicinarum partium, uti otitis, ophthalmitis, namque illae ad meninges cerebrumque haud difficile propagantur, indeque hydrocephali originem sistere possunt. Tussis quoque convulsiva ob cerebri commotionem, nec non vomitus vehemens ac protractus, ob refluxum sanguinis ex capite cohibitum, in hocce effecto obtinendo influxum habent. Ipsi motus et perturbationes animi, praesertim timor et ira, morbo nostro favere dicuntur.

Causae, quae foris organismum invadunt.

Capitis vulnera, contusiones omnesque ejus laesiones externae hydrocephalum acutum ciere possunt, quod tamen Cheyne negat, affirmans se inter multos aegrotos morbo illo affectos unum tantum observasse, in quo, ut videbatur, morbus e lapsu fuerit ortus. Portenschlag narrat, pedagogum quemdam rudiorem pueri capillos vellicantem morbi causam attulisse. Praeterea educatio ea multum est damnanda, quae ictibus ad caput applicatis sive manibus sive baculis, infantes castigat. Quamquam hae causae rarius hydrocephalum statim provocant, tamen pluribus diebus, imo hebdomadibus clapsis, oriri potest atque initio tam leniter irrepere, ut a medico vel sagacissimo vix cognoscatur. In partu quoque caput facile offenditur, qua de re hydrocephalus paulo post erumpere potest; sed sicut hae laesiones, ita etiam neonatorum refrigerationes accusandae sunt, nam caput eorum nudum et aestuans saepe aëri frigido atque perflanti exponitur. Eadem ratione morbus ex capillis brevius abscissis originem trahit, quae credibile est, ubi mos ille perniciosus maxime vigeat, ibi multos parvulos hac ex causa parentibus hydrocephalo eripi. Si infantes arctioribus involvuntur fasciis, aut si vestes induunt strictas, congestio oriri debet cephalica, cujus effectus cerebri inflammatio esse potest. Omnia remedia vehementer excitantia, praecipue opium, quod saepissi-

me infantibus a nutricibus, ut eis somnum conciliet, praebetur, eundem effectum gignere valeat. Si teneri infantes maturius ad discendum atque ad magnos animi labores impelluntur, ad hydrocephalum acutum facile propensi fiunt. Sic omnes seosuum altiorum subitas impressiones hunc morbum haud difficile procreare posse contenditur; sed attentione majore vis solis ardentis in caput nudum infantum respicienda esse videtur, qua de causa multos infantes hydrocephalo acuto affectos esse, ex practicis habemus.

Consideratis causis, quae hydrocephalum acutum gignere valent, perpensis phaenomenis, quae praecedere vel comitari illum solent, collatis signis pathologicis, quae necroscopia nobis offert, haud dubium est, hydrocephalum acutum meningitidem vel encephalitidem enunciare.

Prognosis.

Hydrocephalus acutus plerumque tristem habet exitum, quia organon corporis humani nobilissimum affectum est. Fere omnes medici maximum hujus morbi periculum agnoverunt, et scriptores pauca tantum exempla enumerant, in quibus aegroti sanati sint. Plerumque hydrocephalus sanari potest, si medicus peritus in stadio primo morbum audacter apteque ad-

greditur. Quom autem medicos hoc in stadio raro arcessatur, qoia signa primitiva persaepe tam exigua sont, ut a parentibus parvi aestimentur, indeqoe quom justum tempos, quo illa aegrotis auxiliom ferre potoisset, elapsum sit, tom optima quoque remedia incassum solent adhiberi. Quod auxilium a medico ipso, ob morbi fraudolentiam diagnoseosque difficultatem, aliqoando retardator, taliqoe pacto aegroti frequcoter morti soccumbunt, quae modo post aliqoot dies, modo aliqoot hebdomadas irruit, prout constitutio sot firma aut debilis, morbus aut vehementior aut mitior foit.

Incunte exsudatione, infaotes haod raro sanari posseot, si medici tractamine prompto atque rigoroso oterentor; quidam tamen affirmant se hujus stadii initio multos aegrotos morti quidem eripuisse, floidum vero jam exsudatom nervos praaripoe visus auditusque premens, alios provocasse morbos v. g. strabismum, cataractas, surditatem, stupiditatem. Bonum igitur exitum sperare possomus, si in stadio secundo methodo curandi apta regnlares crises per sodores et urinam apparent, si alvus obstructa rite aperitur, si febris aliaque morbi symptomata imminuontur. Quando haec bona signa adsont, aegrotus a morte quidem tutus, tamen in convalescentia maxima cum diligentia tractandus est, quia exigois rebus nocentibus novus impetos provocari potest, qui plerumque funestum exitum habet. Praecipue

tamen cavendnm est na remissionibus decipiamur in quibus infantes tranquilli hilaresque fiunt, sereno loquuntur animo mentisque compotes sunt. Contra pessimi ominis signa sunt: deliria blanda, convulsiones vehementes, stupor, extremitatum frigus, pupilla eximie dilatata, pulsus irregularis, frequens, tenuis, manibus vix obvius, sudores frigidi, profusi, singultus, paralysis. Quae omnia symptomata sicuti ultimo tantum stadio manifestantur, sic hydrocephalum acutum nunquam in illo sanatum esse, ex historia satis elucet.

Hydrocephalus chronicus, si quo incitamento acutam formam susceperat, prognosim semper infaustam exhibet

Causae non parum valent ad prognosim augurandam, nam morbus noster ex causis externis v. g. ex quadam mediocri violentia ortus meliorem promittit exitum, quam qui ex causis internis v. g. ex morbis cutaneis a cute depulsis originem trahit; attameo pessima est, si cranium vehementissime laesum est. Hydrocephali complicationes cum scarlatina, morbillis variolisque malignae sunt, nam saepissime sub hoium morborum specie ille tam leniter ingreditur ut a medico non semper agnoscatur, aut ob complicationes eorа multum difficilis evadat. Maximum vero periculum minatur, si typhus serius vel ocyus accedit. Febris verminosa cum hydrocephalo conjuncta meliorem prognosim admittit, quia vermes intestinales,

qui morbi causam plerumque sustinent, remedio, quod fere semper in hydrocephalo adhibetur, amoveri possunt. Si in tussi convulsiva e magnis oritur contensionibus, non raro exitum funestum habet, quia haec nullo auxilio tam celeriter sanari potest.

Aegrotorum aetas magnam exserit vim in morbi prognosim, nam infantes ob cerebri excitabilitatem et evolutionem acutam facilius fortiusque hoc morbo afficiuntur, quam aetate provectiores. Hydrocephalus acutus neglectus et sibi derelictus semper tristem exitum sortitur, aegrotique qui sine remediis ex eo restituti esse dicebantur, haud dubie alio morbo nostro simillimo affecti erant.

Therapia.

Infantes, quibus dispositio ad hydrocephalum inest, quam maxime curatione prophylactica egent, cum morbo exculto artis auxilium fere irritum reddatur. Medicus, cui tales infantes curandi traduntur, omnia, quae congestiones sanguinis ad caput excitare possint, plane amovere debet. Curet igitur ut infantes refrigerationem patiantur, ne spirituosis utantur, ne fasciis fortiter constringantur, nec haustis somniferis ad somnum invitentur. Sic morbos cutaneos suppressos restituat, sic solitas evacuationes revocet, aut artificialibus, quoad fieri potest, suppleat. Sic omnia, quae hydrocepha-

lo ansam praebere possunt, medicus omni modo removeat oportet.

Hydrocephalo vero jam incipiente, primo contra causam occasionalem agendum est, deiu contra res laterales, scilicet providendum ut conclave obscurum frigidumque sit, atque aegroti tegumenta levia, ne nimium calorem excitent. Caput sublimius collocandum quam reliquum corpus, diaeta tenuis praescribenda, cum pôtu ex avena vel hordeo parato. Si morbus tali regimine statim non silet, tunc hirudines pro constitutione et aetate aegri ac morbi vehementia aerrici adplicentur. Infantibus unius anni quatuor usque ad octo hirudines et sic porro imponantur: infantibus vero aetate provectioribus etiam venaesectio adhiberi potest, sed parca manu est facienda. Eodem tempore, quo cura externa instituitur, usus internus calomelis ad granum unum vel dimidium omni hora vel bihorio maxime commendatur. Salivatio et alia symptomata, quae in ore aliquando ex mercurio promanant, facile potionibus mucilaginosis removentur. Morbo continuante, calomel dosibus majoribus, seu cum scilla, vel digitali, vel arnica, vel valeriana, vel hyoscyamo, aut belladonna conjunctum felici cum successu propinatur. Si nihilominus morbus non cadit, linteum aqua frigida madefactum et post brevissima intervalla renovatum fronti applicandum est, sive capillis abscissis, aqua frigida e gutturnio ex unius pedis altitudine in

aegroti caput effundatur; vel quod novissimis temporibus magis placet, glacies ruditer contusa et in vesicam suillam immissa capiti ipsi adplicetur. Hic sinapismi ad pedes aut suras aut femora positi, hic vesicantia ad cervicem imposita non sine successu adhibentur, cauteria vero, setones et moxae plerumque nocent.

Tota haec cura cum methodo cathartica sociari debet, quando nempe sordes gastricae hydrocephalo faventes existunt, cui scopo respondebunt nunc eccoprotica, nunc purgantia oleosa, et pro statu aegri et morbi etiam drastica, uti jalapa, scammonium, gummi gutta et alia.

Ineunte exsudatione omnia medicamenta fere inutilia sunt. Continuatis supradictis remediis, practici addere solent quae resorptionem seri extravasati provocant, et inde excretionem vel per colatorium renale inducunt, uti asparagus, petroselinum, ononis spinosa, cremor tartari, nitrum, terebinthina, balsamum copaibae, vel per colatorium cutaneum, uti sambucus, chamomilla, tilia, camphora, tartarus stibiatus, kermes minerale, aliaque praeparata antimonii. Paracenthesis vero a quibusdam adhibita minime laudanda est, nam difficilis, periculosa, et curam tantum palliativam sistit.

Simili modo curatio in stadio tertio instituenda est.

In convalescentia diaeta praecipue ad normam certam conformetur oportet, et infantes

morbi erepti non solum per convalescentiam, sed etiam per totam juventutem maxima diligentia observentur, ut arceantur omnia, quibus latens fortasse morbi fomes denuo flammas concipiat.

THESES DEFENDENDÆ

1. *Essentia rerum ignota possibilitatem systematis corporum perfecti excludit.*
2. *Vita in excitabilitatis erga stimulos reactione consistit.*
3. *Febris nunquam morbus sed semper symptoma.*
4. *Per vim vitalem non solum sanamur, sed etiam infirmamur.*
5. *Inflammationem chronicam indolem asthenicam habere absurdum.*
6. *Microcosmus a macrocosmo pendet.*
7. *Deficientia crustae pleuriticae magis quam praesentia renovationem phlebotomiae tum et quando indicat.*
8. *Pertinax alvus morborum chronicorum mater.*
9. *In syphilide tum locali quum universali hydrargyrum minime necessarium.*
10. *Morborum decursus semper continuus.*
11. *Calor frigefacere, et frigus calefacere potest.*
12. *Remediorum actio mechanica cum dynamira non est confundenda.*
13. *Quod ex pharmacis negligunt homoeopathici, verbis compensare student*